



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 22 Gen. 2. De rebellione amoris proprii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XXII.

G. II.

*De rebellionē amoris proprii.*

**C**ONG. Quomodo, qui in medio hostium est, salutis suæ invigilet cum metu, & tremore.

**PRÆL. I.** Circumspicere nos cinctos *carnis, sensuum, amorisque proprii & mundani rebellionē.*

**PRÆL. II.** Petere auxilium Dei ad expugnandos illos hostes.

**PUNCTUM I. MEM.** Revocemus summarie in memoriam peccata totius vitæ nostræ.

**PUNCTUM II. INTEL.** Ratiocinemur omnia hæc peccata provenire ex amore proprio: nam hic aliud non est, quam natura, quæ neglecto fine creationis, se ipsam quærit, & amat. Atque hic amor proprius immiscet se quidem etiam rebellionē carnis, & sensuum, atque etiam amorī mundano; sed in multis valde tectè, & subtiliter, ita ut non tam apertè se prodāt ejus malitia, de quo juvat considerare Thomam à Kempis de imit. Christi l. 3. c. 54. *de diversis motibus natura, & gratia.* Malitia consistit in eo, quod nos ipsos magis amemus, quam finem creationis nostræ, quem postponimus nostris commodis.

D 5

PUN.

**PUNCTUM III. INTEL.** Huic hosti aptè potest adscribi unum, alterumque peccatum capitale, Atque in primis *Invidia*, quæ est tristitia de alterius bono, tamquam diminutivo propriæ excellentiæ. Filiæ sunt hæ: 1. Odium erga alterum. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Surratio, ad tollendam proximi amicitiam cum aliis.

**PUNCTUM IV. INTEL.** Amori proprio, etiam aptè adscribitur *Acedia*, quæ est tædium & tristitia in labore virtutum. Filiæ sunt. 1. Malitia, quæ quis bona spiritualia, & beneficia Dei odit. 2. Pusillanimitas, & desperatio. 3. Rancor, quo suadentes spiritualia sunt fastidio. 4. Torpor, quando bona non fiunt cum fervore. 5. Evagatio mentis. Hæc omnia oriri ex amore proprio consideranti facilè patet.

**PUNCTUM V. VOL.** Dicamus, & fateamur culpam nostram, quòd toties, & in tam multis superati fuerimus à rebellione hostis istius: Excitemus actum contritionis. Statuamus unicè finem creationis nostræ amare, & ad eum rectà tendere.

**COLLOQ.** Ad Christum crucifixum, petendo charitatem, & cæteros fructus Spiritus Sancti. Nam hi penitè hostem illum profligant, & quia tam subtilis est hic hostis, petamus lumen, ut bene intelligamus illam ejus sententiam. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Joan, 12. **RECOL. REPETIT.**

**MEDI.**